

www.e-rara.ch

**Athenae Rauricae, sive catalogus professorum academiae Basiliensis ab
a. MCCCCLX ad a. MDCCLXXVII**

Herzog, Johann Werner

Basiliae, MDCCLXXVIII [1778]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 6246

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24279>

Professores linguae Hebraeae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

suam strenue posuit. Non tantum autem Basileæ sed & apud exteros, præcipue in Germania, viros in arte medica experientissimos audivit atque consuluit, tandemque d. 5. Apr. 1754. Medicinæ Doctor solenniter fuit renunciatus, postmodum facultatis medicæ Basil. adfessor susceptus. Favente dein sorte d. 3. Oct. 1760. Philosophiæ moralis & Juris naturæ & gentium professor denominatus munus sibi commissum adiit d. 23. Dec. 1760. oratione solenni *de felicitate*. Etiam a. 1773. Bibliothecarius ordinarius constitutus hoc munere ut illo omni diligentia fungitur ac fide. *mortuus d. 22. oct. 1802*

Edidit diss. de *febri semitertiana*, a. 1754. *theses philosophias* a. 1760. in Actis Helv. Phys. Medicis V. 5. 1762. *analysin seminum Caffææ*.

PROFESSORES LINGUÆ HEBRÆÆ.

I. WILHELMUS TEXTORIS, S. Theol. Doct. ac Prof. primus est, qui Basileæ linguam Hebræam publice docuit, ejusque Professor dicitur fuisse a. 1462. de eo hæc habet matricula Theol. *M. Wilhelmus Textoris magnæ fuit honestatis & reverentiæ in humanis, & in Aquensî ecclesia Canonicus adhuc* a. 1500. V. Prof. Theol. n. 3.

II. CONRADUS PELLICANUS, Rubeaquentis, ordinis minoritarum Guardianus, literas Hebræas Basileæ publico nomine docuit ab a. 1524. usque ad 1526. quo Tigurum ad easdem ut & græcas literas docendas abiit. V. Prof. Theol. n. 19.

III. SEBASTIANUS MUNSTER, Ingelheimensis, A. L. M. cum Sim. Grynæo Heidelbergæ a. 1529. Basileam vocatus, hebræas literas tradidit, donec d. 23. Maj. 1552. ex peste mortem obiret. V. Prof. V. T. n. 3.

IV. SIMON SULCER, Bernas, Phil. Doct. professionem hebraicam cum pastoratu Petrino administravit ab a. 1552. & licet a. 1553. Sacrorum Antistes & a. 1554. N. T. Professor constitueretur, tamen vir diligentissimus hebraicam cathedram retinuit, donec non tam laboribus

boribus pressus, quam de digno successore certus, a. 1556. ab ea decessit. V. Prof. V. T. n. 5.

V. SEBASTIANUS LEPUSCULUS, A. L. M. & pastor apud Franciscanos itemque Archidiaconus, cum munere sacro junxit cathedram hebræam ab a. 1556. Ipsi autem ætate atque laboribus fracto a. 1573. *Johannes Tenantius* vicarius fuit datus; isto autem alio profecto, a. 1575. rude donatus professione abiit; fato autem concessit d. 5. Sept. 1576. V. Prof. Log. n. 4.

VI. SIMON SULCER, S. Theol. Doct. & sacrorum Antistes, abdicata professione N. T. cathedram hebræam iterum ambiit & d. 18. Febr. 1578. obtinuit; quadriennio autem ante ejus obitum, qui contigit d. 22. Jun. 1585. rude professionis hebraicæ, servato antistitis officio, fuit donatus. V. Prof. V. T. n. 5.

VII. JOHANNES BRANDMULLER, S. Theol. Doct. & pastor ad D. Theod. d. 24. Febr. 1581. Linguæ Hebrææ professor denominatus, hanc cathedram ut & suggestum sacrum conscendit, dum d. 22. Sept. 1586. Professor V. T. constitueretur. V. Prof. V. T. n. 8.

VIII. ISRAEL RITTER, Basiliensis, natus Lucifvalli, oppido agri Basil. loco quidem ignobili, ex doctrina tamen fatis nobilis evasit, & tam ecclesiæ quam academix haud parum profuit. Literarum amore captus Basileam contendit & a. 1563. nomen inter studiosos philosophix professus est. Cum autem in palæstra literaria Palladisque arena se strenuum atque industrium exhibuit, atque liberalium artium cognitioni morum integritatem modestiamque conjunxit, dignus fuit habitus, qui prima Laurea tanquam virtutis ac eruditionis insigni d. 28. Oct. 1565. publice redimiretur, prius habita oratione in quæstionem: *Vtrum oratori bono adfectus in auditorum animis permovere conveniat, nec ne?* Hæc vero studia philosophica ulterius profecutus & sublimiores harum artium gradus adsecutus, etiam secundam lauream reportavit d. 13. Jul. 1567. & speciminis loco declamationem habuit in quæstionem: *An, quæ de amazonibus literarum monumentis posteritati consecrata sunt, profabula an historia potius habenda sint?* Ab istis philosophicis

phicis studiis ad theologica transiit, nec minorem in iis tractandis adhibuit diligentiam. Citius progressus jam a. 1570. pastor cœtus Lauffelfingenſis in agro Baſil. conſtituebatur. Hic cum ſingularem fidem, eruditionem atque adſiduitatem probaſſet, ad ſublimiora aſcendit & a. 1583. paſtoratum Leonhardinum ſuſcepit. Iſta autem ejus eruditio jam propius perſpecta ipſi etiam viam munivit ad profeſſionem hebræam, quæ ei delata fuit d. 22. Sept. 1586. quamque cum paſtoratu diligentiffime obiit. Ceterum, teſte *Jac. Grynaeo*, vir fuit fervente zelo pro adſtruenda veritate, & *Job. Gualterius* in Chron. Eccleſ. l. 2. p. 1250. eum inter illuſtres theologos refert. Diu autem academiæ prodeſſe haud poterat, ut qui jam d. 14. Febr. 1588. vita exceſſit.

IX. JOHANNES BUXTORFF, pater gentis Baſileæ adhuc florentis & literaturæ hebrææ per univerſam Europam reſtaurator eximius, originem duxit ex Weſtphaliæ oppido Camena, ubi in lucem editus fuit d. 25. Dec. 1564. a patre *Johanne Buxtorff*, eccleſiæ patriæ antiſtite, *Joachimi ſ. Severini* filio, *Richardi*, conſulis Camenſis, nepote, qui majores vulgo *Bockſtrop ſ. Boxtrop*, appellari ſolebant, unde inſignia Buxtorffiana; hircum referentia, derivanda. Mater autem Noſtro fuit *Maria Volmaria*. Parentes puerum optimæ ſpei atque indolis mature miſerunt in ludum literarium Hammonenſem & Tremonenſem, ubi artium & linguarum prima tyrocinia fecit. Hinc ob patris obitum domum quidem reverſus, haud diu tamen ibi commoratus eſt, ſed mox, ſtudia literarum proſecuturus, prius Marpurgum, inde Herbhornam abiit, & *Olevianum* atque *Piſcatorem*, ambos Theologiam tradentes, frequenter audivit; linguæ vero hebrææ fundamenta jecit ſub Piſcatoris auſpiciis, eaſque literas tanta adſiduitate fuit proſecutus, ut non tantum æquales ſuos longe anteverterit, ſed & ipſum magiſtrum in transferendis libris ſacris multum juvarit. Herborna relicta, cum ab artium & linguarum principum adparatu ſatis eſſet inſtructus, uberioris ingenii cultus capiendi ergo Heidelbergam ſe contulit, mox vero a. 1588. *Jac. Grynaum* atque *Hofpinianum* auditurus Baſileam petiit; dein Tigurum proſectus *Henr. Bullingerum*, & Genevæ poſtea *Theod. Bezam* adiit, eorumque institutionem procepit. Baſileam reverſus *Jac. Grynaus*,

Grynæus, perspecta in juvene iudicii acrimonia, indefesso studio, morum probitate, omnibus modis, ut hic retineretur, laboravit, eumque *Leoni Curioni* commendavit, qui ipsum mensa & hospitio liberali excepit, Buxtorffius vero eidem operam suam in informandis liberis ejus condixit atque præstitit. Ceterum ut omnibus eruditis cunctisque bonis fuerat amatus, ita præsertim Grynæo carissimus exstitit atque magni æstimatus, qui in aliis adfectus sui erga eum datis argumentis biblia hebraica Veneta posuit, quibus eum bono omine donavit. Adsumto dein in publica panegyri die 6. Aug. 1590. Magistri artium titulo, eodem anno linguæ hebrææ professionem, quam jam ab a. 1588. vicario nomine laudabiliter administraverat, omnium votis non tam quæsitam quam oblatam obtinuit; deinceps etiam præter alia munia acad. gymnasii cura ei fuit demandata, quibus singulis officiis, præsertim professioni, ingenti studiorum commodo & immortalis nominis sui fama præfuit. Mense Augusto 1592. iter in patriam instituit, ex quo post trimestre spatium exactum salvus Basileam rediit, vices autem ejus interea sustinuerat *Jac. Brandmuller*, tum Diaconus ad S. Claræ, antea pastor Derwilensis. Amici Buxtorffii vitam ejus jucundiorum eiusque habitationem sibi certiorum reddituri, jucundam thori consortem ipsi prospexerunt, *Margaretham Curionem*, *Leonis*, patroni priitini, filiam, & *Cælii Secundi*, Professoris, neptem, quam connubio sibi junxit a. 1592. & quæ ipsi XI. liberos peperit, quinque filios & sex filias, tres filii, *Leon*, *Chananeel* & *Cælius Augustinus* uno partu nati d. 15. Febr. 1596. in S. Templo baptizati fuere; ex filiabus *Maria*, nata 21. Apr. 1594. & nupta *Sam. Grynæo*, Pastori Leonh. ob. d. 1. Maj. 1666. *Lucia* nata 4. Aug. 1597. nupta *Joh. Lud. Kœnig*, typographo, ob. d. 11. Oct. 1634. *Magdalena* nata 17. Jun. 1604. nupta *Theod. Zuingero*, S. Theol. Doct. ac Prof. nec non Antistiti ob. 13. Mart. 1670. ex filiis præcipue memorandus *Johannes*, S. Theol. Doct. Linguæ hebr. simul & Theol. Prof. de quo suo loco plura sunt adlata. Buxtorffius curis domesticis si non solutus certe levatus omne jam tempus posuit in literas hebraicas linguasque hebrææ adfines, & indefesso studio omnes Judæorum libros evolvit, Rabbiorum in Scripturam S. commentarios, philosophos, historicos, medicos

medicos omnes, quos reperire potuit, legit atque rēlegit, & stupendum linguarum orientalium, antiquitatum judaicarum, philologiæ atque criticæ sacræ thesaurum sibi comparavit, ita ut ipsimet Judæi in rebus dubiis, quoad legis cerimonias, ad ipsum confugerent, ac instar oraculi eum consulerent. Libros rabbinicos, tum adhuc rariores, per amicos christianos, plures vero per ipsos Judæos ex tota Europa magnis sumptibus collegit, quæ bibliotheca a filio atque nepote insigniter aucta tandem a. 1705. pretio mille thalerorum bibliothecæ academicæ adserta fuit. Nec tantum mortuos sed & vivos super mysteriis rabbinicis diligenter consuluit Judæos, plurimum cum illis conversatus. Etiam cum Biblia hebraica imprimenda curaret, permittente civitatis Magistratu, eruditum Judæum cum uxore atque liberis domi suæ aluit, qui correctoris officio fungeretur; quæ vero res ei haud exiguam exhibuit molestiam. Cum enim, ut Ms. perhibent *Iseliana*, mense Junio 1619. hujus Judæi, *Abrahami*, uxor puerum esset enixa, paterque *Georgium Martinum Glæserum*, supremum Magistratus ministrum, ad quem jurisdictio in causis Judæorum pertinet, rogasset, ut aliquot popularibus suis, quibus circumcissionis pueri testibus uteretur, liberum in civitatem aditum concedat, hocque concessio circumcisio præsentibus illis Judæis, itemque Buxtorffio ejusque genero, Kœnigio, nec non duobus aliis civibus, peracta fuisset, res ad civitatis senatum fuit delata, qui d. 16. Jun. 1619. Buxtorffio atque Kœnigio, cuique multatitiam pecuniam centum florenorum indixit, Judæum Abrahamum pœna quadringentorum florenorum adfecit, & Glæserum ut & duos reliquos cives, qui actui huic circumcissionis intererant, in carcerem conjici jussit, ex quo tertio post die liberati fuerunt. Sed hæc amara dulcia plura prægressa fuerunt atque secuta. Plura tacentes, tantum publicos quosdam atque majores honores, quibus adfectus fuerat, commemorabimus. A. 1610. a senatu acad. Basil. professio theologica ei fuit oblata, quam vero non accepit. Anno sequente 1611. curatores academix Salmuriensis eum ad professionem hebræam obeundam quam humanissime invitarunt, sed & hanc vocationem recusavit, ut & eam, quam academia Lugduno Batava aliquot annis antea tentaverat. Qua viri incomparabilis pariter & æquissi-

æquissimi pietate motus amplissimus magistratus Basil. pro sua in bonas literas & academiam munificentia honorarium professorium ei liberaliter satis auxit, sibique eum & hoc modo magis devincire studuit. Inter hos labores muneris ordinarii atque lucubrationum continuarum, quarum plurimi fructus infra nominandi in publicum emanarunt, etiam frequentissimum habuit cum viris eruditissimis literarum commercium, *Phil. Morneo*, *Jos. Scaligero*, *If. Casaubono*, *Dan. Heinsio*, *Franc. Donato*, *Baudio*, aliisque pluribus. Etiam Judæi per Germaniam, Poloniam, Moraviam, Bohemiam, Italiam dispersi creberrimas ad eum literas dederunt, ad quas ipse respondit & intricatissimas sæpe in iis propositas quæstiones erudite dissolvit, quemadmodum plures epistolarum centuriæ adhuc in Bibliotheca publica Basil. servatæ fidem faciunt. Cum doctrina autem eximia non minorem conjunxit pietatem, probe sciens, illam sine hac non solum nihil prodesse, sed & multum obesse. E virtutum autem ejus choro maxime refulserunt pietas in Deum, humilitas & candor, nec non erga pauperes liberalitas, & studiosorum comoda promovendi nobilis ardor. Tandem optatam contigit metam & d. 12. Sept. 1629. virtute beatus beatissimam adiit vitam, ex peste defunctus.

Scripta ejus sunt: *Manuale hebraicum*, Bas 1602. 1612. 1613. 1619. 1630. 1631. 12. &c. editio 6. castigatio cura *Job. filii*, Bas. 1658. 12. *Synagoga Judaica*, germ. Basil. 1603. &c. recusa Francof. 1729. c. f. 8. in latinum conversa per *Hermannum Germbergium*, correctorem Corbacensem, Hanov. 1604. dein per *Dav. Clericum*, revidentibus tam *Buxtorffio* patre quam filio, Basil. 1641. 1661. cura *J. Jac. Buxtorffii* 1680. 1712. 8. belgice translata Amsterd. 1650. 1694. 8. c. f. *Epistolarum hebraicarum decas*, hebr. & lat. Bas. 1603. 8. *Epitome Grammaticæ hebr.* Bas. 1605. 1613. 1616. 1629. 1640. editio 7. ib. cura *Joh. filii cum consilio universali de studio hebr. rite instituendo & promovendo*, Basil. 1658. 8. 1669. 1710. 8. *nec non Amstelodami cum notis & appendice* *Christ. Schotani ad pleniorum Etymologiæ instructionem*, item *Ultrajecti* 1672. & 1675. 8. per *Joh. Leusdenium. Epitome radicum hebr. & chald.* Bas 1607. 8. *Lexicon hebr. & chald. cum brevi lexico rabbin. philos.* Bas. 1607. &c. Editio 4. 1631. 1663. 1667. 1676. 1698. &c. 1735. item Londini cum abbreviaturis hebr. 1646. 8. *Franeq. & Amstel.* 1654. 8. *Thesaurus grammaticæ hebr.* Bas. 1609. 8. 1615.

8. 1615. 8. 1619. 1629. 1651. Amstel. 1650. 8. editioni 6tæ
 Basil. 1663. 8. per Joh. fil. curatæ additi sunt indices, nec
 non *exercitatio de prosodia metrica* & *lectio hebræo germanica*.
Institutio epistolaris hebr. cum epistolarum hebr. centu-
ria, Basf. 1610. 8. *appendice epistolarum Maimonidis* &c.
 aucta per Joh. fil. ib. 1629. 8. *de abbreviaturis hebr. re-*
centio operis talmudici & *bibliotheca rabbin.* ibid. 1613. 8.
 1640. 8. Franeq. 1696. Herborn. 1708. 8. *Grammatica chal-*
daica & *syriaca*, Basf. 1615. 8. 1650. 8. 1685. 8. *Biblia*
hebraica, cum paraphrasi chald. & commentariis Rabbino-
rum 2. T. fol. Basf. 1618. *Tiberias s. Commentarius Moso-*
rethicus, Basf. 1620. fol. & 4. 1665. 4. *Concordantiarum*
hebr. opus adfectum & ad vocem יְרֵמְיָה confectum reliquit,
 a filio *Johanne* perfectum ac editum Basil. 1632. fol. *Epi-*
stola ad Matthiam Martinium scripta d. 4. Sept. 1606. &
edita in Bibl. Brem. cl. 4 F. 3. p. 598. In hac epistola,
 ut & alicubi in synagoga Jud. commemorat Buxtorffius, se
 librum composuisse ac prope absolvisse, adhuc vero suppres-
 sisse, qui contineat causas odii Judæorum in omnes gentes
 ac mundi populos, omnium autem maxime in Christianos:
 initium, progressum, continuationem, blasphemias duras,
 convitia in Christum, Christianorum magistratum, Christia-
 nos omnes, imprecationes & similia, ex ipsissimis Judæo-
 rum, non baptizatorum, sed circumcisorum saltem libris col-
 lecta; hic autem liber hactenus suppressus mansit.

X. JOHANNES BUXTORFF, S. Theol. Doct. ejusdem-
 que Professor, ex Diacono Petrino, loco Patris defun-
 cti, d. 4. Maj. 1630. electus fuit linguæ hebrææ pro-
 fessor, istamque linguam optima fide docuit, donec in
 cœlestem academiam vocatus abiit die 17. Aug. 1664.
 V. Prof. V. T. n. 13.

Scriptis & edidit præter ibi commemorata *patris manuale*
hebr. cum consilio de instituendo studio hebr. Basf. 1631. 8.
Patris sui Synagogam Jud. ib. 1641. 1661. 8. *Patris epi-*
tomen Grammaticæ hebr. cum consilio supra dicto, ib. 1658.
 8. *Ejusdem thesaurum Grammaticæ hebr.* ib. 1663. 8. *In-*
stitutiones epist. Patris auctiores, 1629. 8. *Epistolam de recte*
instituendo studio rabbin. Mus. Helv. P. 9. p. 122. *Manuale*
Concordant. Ebræo Bibl. 4. s. l. & a. *Diatribam de comper-*
diosa & facili linguam hebraeam & chaldæam addiscendi ra-
tione, Basf. 1637. 8. eâ adjuncta est *Mercurio quadrilingui*
C. Scioppii, it. ib. 1658. 8. *Epistolam ad Theoph. Spize-*
lium, præfixam huius libro, cui titulus: Elevatio relationis
Montezinianæ de repertis in America tribus Israëlis, Ba-
 sil. 1661. 8. Collegit & V. L. ex Codd. hebr. MS. & im-
 pressis

pressis, de quibus singulis iudicium suum adjecit, quod vero opus lucem hactenus non vidit. V. Walton. in app. ad Biblia Polygl. Prolegom. VIII. S. 22. p. 50. & Catalecta Buxtorff. p. 448.

XI. JOH. JACOBUS BUXTORFF septima fuit proles *Joh. Buxtorffii*, S. Theol. Doct. Ling. Hebr. ac Theol. Prof. quam is suscepit ex quarta conjugē, *Elisabetha Lützelmann, Leonhardi*, Tribuni plebis, filia. Ab his parentibus d. 4. Sept. 1645. procreatus ob vividum in eo animadversum ingenium erectamque indolem tempestive literis dicatus fuit atque adhibitus. Educationis partem & quidem præcipuam pater ipse suscepit, partem vero idoneis magistris delegavit. Præcipua cura eo erat directa, ut tenello pueri pectori vera pietas, in qua omnis religionis vis posita est, instillaretur: dein ut puer latinarum atque græcarum literarum primis elementis, nec non linguæ S. rudimentis imbueretur; hæc etiam fundamenta ita feliciter fuere posita, ut puer septennis & octennis hebrææ linguæ jam tantam peritiam habuerit, ut omnibus fuerit admirationi; unde etiam derivandum, quod postea illi per reliquum vitæ tempus hebraica lingua haud multo minus ac vernacula familiaris exstiterit; nam *qui discit puer, similis est atramento scripto in charta nova; qui vero discit senex, similis est atramento scripto in charta veteri vel bibula*, dicunt Rabbini; *a teneris adsuescere, multum est*. Factum hinc etiam, ut puer jam ad consuetudinem virorum admittus, non solum morum facilitatem & suavitatem sed & virilem prudentiam imbiberit; adeo ut *Lucas Gerulerus*, venerabilis Ecclesiarum Bas. Antistes, de illo ad amicum loquens dixerit: *se in hoc juvene senilem prudentiam admirari*. Ex gymnasio a. 1659. ad academiam transmissus, non solum, patre duce, studium hebraicum diligentissime excoluit, & ad altiora ascendit, sed & cum eodem philosophicarum artium & humaniorum literarum notitiam non vulgarem conjunxit, publicis professoribus usus magistris, privata etiam opera *J. Jac. Hofmanni* adjutus, qui eum in omnigena literatura diligentissime instituit. Postquam publicis atque privatis speciminibus profectus, quos in philosophicis fecerat egregios, satis probasset, d. 28. Aug. 1660. prima Laurea solenniter fuit insignitus, publice habita

oratione de *præstantia linguæ hebrææ*, quam hebraice compositam hebraice proposuerat; die vero 26. Nov. 1661. doctoræ philosophicæ dignitatem publice retulit, prius enodato symbolo Pythagoræ: *Adversus solem ne loquitur*. Hoc philosophiæ studio feliciter confecto, ad Theologiam se convertit, & d. 6. Jul. 1661. matriculæ nomen suum intulit. In literatura autem hebraica non solum strenuus perrexit, sed & vicinas dialectos adgressus est. Cum autem in medio studiorum theologicorum cursu versaretur, & jam egregios in eo fecisset profectus, pater senex a theologiæ studio filium retractum unice avito linguæ hebrææ studio adstrinxit, & gradatim ad difficillimos auctores deduxit. Certam vero filio prospecturus in academia stationem, a senatu acad. petiit, ut is sibi in hebraicæ linguæ professione vicarius, simulque in ea post obitum suum indubius successor decerneretur, & utrumque, (posterius adnventibus etiam scholaris) propter utriusque, patris & filii, singularia merita haud gravatim obtinuit; itaque d. 21. Jun. 1664. vivo quidem sed morbo lethali jam correpto parente, vicarius ejus cum spe indubitata successio nis fuit electus. Mortuo autem paulo post parente, professionem d. 15. Nov. 1664. solenniter auspicatus est. Mox Tigurum profectus præsertim *Joh. Henr. Hottingerum* sibi fecit familiarissimum. Etiam frequentissime usus fuerat opera *R. Abrahami*, in vicinia Basil. habitantis & parenti, Doctori Buxtorffio, familiaris, viri eruditi, quem recutitorum integerrimum adpellare solebat. Hic paucis ante obitum Buxtorffii patris annis aliquid genti suæ sacrosanctum amisit, quod ad Buxtorffium fuerat delatum; cumque de re perditâ aliquando anxius ingemisceret atque lamentaretur, interrogavit Buxtorffius, ecquod indici præmium sit exspectandum? cumque Judæus nihil non, quod quidem in sua sit potestate, pollicitus esset: Nihil, inquit, a te postulo, nisi ut contractam inter nos familiaritatem ad filium, si quid mihi humanitus accidat, derives, huncque, sicubi in scriptis tuæ gentis interpretandis operam tuam desiderabit, candide adjuves, simulque Rabbino id, quod tam anxie quærebat, restituit. Memor postea Judæus, quoad vixit, datæ fidei permansit. Buxtorffio autem nostro cum cognitum esset, quantum peregrinationes literariæ conferant cum ad eruditionem prudentiam.

dentiamque augendam, tum ad morum culturam, tale iter, quod jam beatus pater ipsi suaferat, vere anni 1665. ingruente, venia a senatu acad. impetrata, & *Petro Werenfelsio*, tum Archidiacono, in muneris administratione vicario tantisper relicto, bonis avibus est adgressus, una cum *Frid. Seilero*, tum S. M. C. postea pastore Petrino. Cum hoc Achate, Solothuro, Berna & Laufanna in transitu salutatis, Genevæ aliquamdiu commoratus est; hinc Lugdunum, indeque per Aureliam Lutetiam Parisiorum venit, ibique per aliquod tempus substitit. Hinc Picardia, Hannonia, iisque Belgii civitatibus, quæ hispanicæ tum ditioni suberant, peragratis, in fœderata tandem Belgica adpulit, dualque inptimis ejus civitates, in quibus justum tempus consisteret, Trajectum ad Rhenum & Lugdunum Bat. delegit; ubique horum locorum viros eruditos, in his *Hummelium* Bernæ, *Müllerum* & *Schœnauerum* Laufannæ, *Mestrezatium*, *Turretinum* & *Tronchinum* Genevæ, *Dallaum*, *Morum*, *Justellum*, *Cappellum* Lutetiæ, *Voëtium*, *Essenium*, *Nethenum*, *Leusdenium*, *Trajecti*, *Coccejum*, *Heidanum*, *Hornbeckium*, *Golium*, *Vchtmannum* Leidæ sibi fecit amicissimos, ubique etiam bibliothecas, cimeliarchia aliaque visu digna diligenter perlustravit. Postquam hyemem Lugduni Bat. transgessisset, ibique studiosis hebraicarum literarum id petentibus, magnaque ad eum frequentia adcurrentibus, privatum interea collegium indulgisset, vere sequente in Angliam trajecit, Londinumque venit paulo ante lamentabile illud incendium, quod magnam spaciosissimæ urbis partem atque inter alia LXXXVII. templa parochialia absumsit. Hoc miserabile spectaculum cum oculis spectasset, idque non sine periculo, cum plebi concitatæ & incendii auctores quærenti peregrini omnes suspecti essent: ut studiis, Arabicæ imprimis linguæ, liberius & tranquillius vacaret, in propinquum urbi pagum secessit, ibique apud quendam *M. Bonde*, virum orientalium linguarum peritissimum, aliquamdiu latuit; ita tamen, ut subinde in urbem migraret ad visendos eruditos, inter quos fuerunt *Duportus*, *Oldenburgerus*, *Durellus*, *Morleus* & *Wardus*, episcopi. Inde Oxonium delatus, omnes bibliothecas, præsertim Bodleianam, diligenter excussit, & *Pocockio*, *Hydio*, *Smithio*, *Leighio*, *Clerico*, aliisque familiarissimus evasit.

Mundoniæ dein invisit *Joh. Lightfootum* & Cantabrigiam delatus, raro honore, in collegium Emanuelis receptus fuit, *Pearsonio*, *Moro*, *Cudwortho* inprimis amatus atque æstimatus. Anglia denique relicta Hamburgum trajecit, ubi *Ezhardi* familiaritate usus fuerat atque delectatus. Tandem per Germaniam spes & incolumis a. 1669. Basileam rediit, & commissæ professionis munia repetiit. Dein a. 1670. in perpetuum vitæ consortium adscivit *Cleopheam Brandmuller*, *Jacobi J.C.* & *Salomeæ Kanig* filiam unicam. Ex hoc conjugio sex liberos suscepit, quorum quatuor ad meliorem vitam præmisit, interque eos *Jacobum* summæ spei filium; patris funera viderunt filius *J. Jacobus*, natus d. 8. Oct. 1687. filiaque *Dorothea*, quæ, nata d. 16. Jan. 1683. *Joh. Hauslero*, mercatori, nupta, obiit d. 26. Oct. 1752. Sub idem fere conjugii celebrati tempus commissâ ei fuit cura Bibliothecæ acad. paulo ante bibliotheca Amerbachiana insignique cimeliarchio auctæ & in ampliorem locum translata; nec non visitatio gymnasii Mariani, qua magna fide & diligentia defunctus est. Septies philosophici ordinis Decanatum, Rectoratum acad. bis gessit prudentissime. Præter publicas lectiones etiam privatas indulgit petentibus, in quibus hebraicam, rabbinicam, talmudicam, chaldæam atque syriacam linguam docuit. Ceterum præter pietatem in Deum singularem in eo conspiciebatur prudentia circumspecta, modestia germana, adfabilitas, officiosus in quosvis, & beneficus in pauperes animus. Cum variis morbis, asthma, arthritide, hypochondriaco malo, podagra a multis jam annis conflictatus, atque iisdem excruciat, denique d. 1. Apr. 1704. phthisico hydropticus obiit.

Nihil vir literatissimus lucubrationum suarum ex summa modestia typis mandavit nisi *præfationem* ad avi sui commentarium masorethicum a. 1665. editum, ejusdemque *Synagogam Jud.* revisam & a mendis expurgatam edidit Basileæ. 1680. 8. *quorundam Rabbinicorum librorum versiones*, nec non *insigne auctarium bibliothecæ Rabbinicæ conscripserat quidem, sed intra scrinia sua servavit.*

XII. JOHANNES BUXTORFF, ex præclara & de academia Basileensi quin universo literato orbe, bene merita familia oriundus, editus est in lucem d. 8. Jan. 1663. patre

patre *Johan. Buxtorffio*, iterum senatore, & satrapa Varnspurgensi primum, dein Waldenburgensi, *Johannis*, S. Theol. Doct. & ejusdem nec non linguæ hebrææ Professoris filio, matre autem *Dorothea Beck, Sebastiani*, Theologi, filia. Majorum fama puerique optima indole adlectus parens filium literis destinavit, Deoque libavit. Mittebatur itaque in scholam latinam, in qua a pueritia ad pietatem, honestatem, humanitatem, nec non ad linguæ latinæ atque græcæ, historiæ, geographiæ atque aliarum scientiarum cognitionem diligenter deducebatur, ibique, ob ingenium, industriam, solertiam a præceptoribus plurimum amatus, in studiis brevi tempore adeo laudabiles fecit progressus, ut ad audiendas lectiones publicas admitteretur. In istis philosophorum lectionibus audiendis consuetum tempus consumpsit, sed auditione prælectionum non contentus, audita etiam notavit, observavit, excoluit, & ad usum revocavit, tum frequenter in lingua & ligata & prosa perorando, tum alia exercitia componendo atque exhibendo. Quo pacto ingenium, solertiam, & in omni philosophia factos profectus præclaros denuo magistris suis ita probavit, ut utraque laurea philosophica ipsum dignum judicarent; quarum prima d. 3. Jun. 1679. secunda d. 8. Jun. 1680. fuit cohonestatus, qua posteriore occasione *de lauro ab ictu fulminis immuni* publice disseruit. Eodem anno 1680. nomen dedit studio theologico, illudque diligentissime tractavit. Sanam Theologiam, ut par est, præcipue ex fonte purissimo Scripturæ S. haurire studuit, hancque ut accuratius intelligeret, linguæ græcæ atque hebrææ indefessam operam dedit; majorum vero vestigia ut sequeretur, inprimis literaturam hebraicam excoluit, & præter theologos ordinarios etiam patrum suum, *Joh. Jacobum Buxtorffium*, frequenter adiit atque audivit, privata ejus opera quam plurimum sublevatus. In horum theologorum schola, adhibita omni diligentia adeo profecit, ut examen a futuris S. Ministerii candidatis requisitum cum laude subierit atque superarit, in eorum numerum a. 1685. omnium calculis receptus. His vero tentaminibus atque examinibus feliciter superatis, nequitquam, ut haud pauci perperam facere solent, torpori, otio atque pigritiæ sese tradidit, sed, ut ingenuum hominem decet, studium linguarum atque Scripturæ S. assidue continuavit, quæ ipsi adhuc deerant, compa-

ravit, cognitionem rerum divinarum adauxit, sicque se ad ministerium S. olim rite obeundum digne præparavit. Haud diu post occasio ipsi fuit oblata, sese in ministerialibus functionibus exercendi, & quantum in illis valeat demonstrandi, a. 1689. a *baronis Strünckedensis Marchici* vidua, ut sibi a concionibus esset, vocatus. Ea a. 1690. defuncta, sermoneque funebri, qui typis expressus legitur, in ejus honorem in Pl. XVI. 5. 6. habito, iter in Belgium instituit, ibique inprimis linguarum orientalium studium excoluit. Comparato pretioso eruditionis thesauro, & conciliata cum plurimis eruditis arctiore amicitia, a. 1694. in patriam reversus, eodem hoc anno pastor in pago Basil. *Aristdorff*, designatus fuit. Hinc autem ab academix proceribus d. 19. Sept. 1704. revocatus & linguæ hebrææ professor constitutus est, quam provinciam adiit d. 19. Dec. 1704. *de hebræorum circa bonos malosve angelos erroribus* nonnulla publice præfatus. Spartam istam satis diu magno literarum incremento, academix honore, nominisque sui fama eximia exornavit, donec d. 19. Jun. 1732. ex hydrope pectoris extinctus ad majores suos collectus fuit; relictis ex *Augusta Dorothea Hummel*, uxore, tribus liberis, *Augustio Johanne*, qui a. 1765. pastor ad D. Theodori, *Job. Jacobo*, qui a. 1767. Lugduni mercator obiit, & *Dorothea Emanueli Streckeyser* nupta, quæ vidua adhuc superest.

In lucem edidit *exercitationem de Pontifice M. V. T.* 1685. *conversionem gentium*, s. *de propagatione Evangelii apud Indos*, 1698. 16. *concionem funebrem* in Dan. XII. 3. 1703. *specimen thesauri philologicarum*, 1704. *Drelincourtii tractatum gallicum de paterno Dei erga pios adfectu in germanicum translatum*, 1705. *Catalecta philologico theologica cum mantissa epistolar. viror. claror. ad Job. Buxtorffium, patrem & filium, scriptarum*, 1707. *Specimen pbræseologiæ V. T. hebr. Francof.* 1717. *Musas errantes collectas*, Amst. 1714. 4. *iterum auctiores & emendatas*, Bas. 1717. 8. *Orat. de nonnullis studiorum juvenilium impedimentis, habitam* d. 28. Jun. 1716. Bas. 1719. 4. *diff. de Alcorani editione Arabica, ejusque versionibus*, Bibl. Brem. Cl. 6. F. 2. p. 271. *Dissertationes varii argumenti*, Bas. 1725. 8. *diatriben de judicio particulari*, ib. eod. *Prelo etiam paraverat Catalectorum volumen alterum cum epistolis virorum clarorum nondum editis; fasciculum dissertationum selectarum; volumen concionum selectarum; orationes academicas, epistolas & poemata; hæc vero lucem nunquam viderunt.*

XIII. JOH. RODOLPHUS BATTIER, *Friderici Battierii*, pastoris Albani, & *Margarethæ Iselin*, filius, natus est d. 9. Nov. 1693. Adolecens ingenio bono præditus matre ad literarum laborem adsuefactus, omnique humanitatis disciplina cultus fuit atque instructus. Doctarum literarum elementis instituendus traditus est gymnasii publici magistris, iisque probe instructus ad academiam transit & philosophica studia diligenter tractavit. Linguas eruditas artesque ingenuas cum acriter intellexit atque consuetis speciminibus eruditionem suam probavit, etiam solennia præmia a sapientissimo ordine accepit. Prima nempe Laurea cinctus fuit d. 10. Jun. 1710. philosophici vero Magisterii honore mactatus die 10. Nov. 1711. Eodem hoc anno studio theologiæ nomen dedit, & cum præclara fuisset præditus indole, mente acutus, discendi cupidus, in audiendis lectionibus assiduus atque adtentus, privatim etiam diurnas nocturnasque horas legendis optimis libris, repetitioni atque meditationi impendisset, in lingua græca atque hebræa, philologia sacra, historia ecclesiastica, ipsaque theologia dogmatica, morali atque elenctica adeo amplam acquisivit notitiam, ut a. 1716. dignus haberetur, qui in numerum Evangelii præconum adscisceretur. His vero nondum contentus, etiam apud externos eruditionem suam augere studuit, aliquot annos in Gallia, Belgio atque Anglia commoratus. Ita multifaria, literaria atque ecclesiastica, eruditione locupletatus primum a. 1730. pastor Orphanotrophii, dein d. 27. Mart. 1733. linguæ hebræicæ professor fuit electus, quam provinciam d. 15. Maj. 1733. lectione publica *de linguæ hebrææ præstantia* auspiciatus diligentissime administravit, donec tristissimo casu tantam animi fecit labem, ut, dum vixit, pristinam sanitatem non recuperarit. Vices ejus professorias egit a. 1736. *Joh. Gryneus*, postea Theologus; a. 1738. *Joh. Balth. Burcard*, Rhetorices Professor, ad docendam Theologiam vocatus; a. 1741. *Jacobus Pfaff*, S. M. C. qui quadriennio post obiit; a. 1745. *Joh. Henr. Brucker*, postea Historiarum Professor; a. 1747. *Georgius Erzberger*, deinceps Diaconus Petrinus; a. 1752. *Joh. Henricus Gernler*, professor dein historiarum; & a. 1754. *Jacobus Basler*, qui post fata Battierii hujus linguæ professor ordinarius fuit electus. Denique Battierius corporis ergastulo fuit solutus & in

ætherem cœlestem susceptus Prid. Pasch. 1759. Relicta vidua *Dorothea Bernoulli*, *Johannis Bernoulli*, Mathes. Prof. filia, unicoque filio *Job. Battier*, mercatore.

Edidit *disputationem theol. qua loca V. T. in Evangelis citata expendit*, & *contra Judæorum strophas atque cavillos defendit*, a. 1716. *Positiones Logicas miscell.* 1722. *Theses philologicas misc. pro cathedra hebræa*, a. 1733.

XIV. JACOBUS BASLER, Societatis Physico Medicæ Basiliensis sodalis, natalem habuit d. 10. Sept. 1725. Studiis ab ineunte ætate imbutus, pro animo doctrinarum ut capacissimo ita avidissimo, magnos cito in iis fecit profectus. Prima morum præcepta & literarum atque scientiarum elementa in gymnasio percepit. Depositis autem tyrociniis rudimentis, civibus academix adscriptus philosophia animum excoluit, omneque tempus literis dedit. Linguæ latinæ atque græcæ sedulam dedit operam, imprimis autem Logica atque Metaphysica, Mathesi atque Physica delectatus, omni diligentia hæc artes atque scientias adfectavit. Accepta dein prima Philosophiæ Laurea, nempe d. 8. Jun. 1741. itemque d. 11. Jun. 1743. suprema in philosophia dignitate, ad studium theologicum animum adplicuit, & d. 11. Dec. 1742. sacris literis solenniter nomen dedit. Licet autem in omnibus Theologiæ partibus diligenter esset occupatus, non tamen sapientiæ deposuit amorem, quin universam philosophiam, quam maxime vero mathesin atque physicam, ad quas scientias animus imprimis inclinabat, diligentissimus didicit atque excoluit, ubi ei tam fortunato esse contigit, ut non solum publica sed & privata trium in his scientiis principum, *Job. Bernoulli*, patris, ejusque duorum filiorum, *Danielis* & *Johannis*, optima frueretur institutione, quam postmodum non sine ingenti sænore reddidit nobilissimis fratribus, *Johanni*, *Danieli* atque *Jacobo Bernoulliis*, *Johannis Bernoulli* filii natis, quos per plures annos philosophia instrumentali ac reali, præsertim hujus parte theoretica, Physica atque Mathematica, fidissimus & felicissimo cum successu instituit. In classem verbi divini ministrorum a. 1747. adoptatus, linguæ gallicæ facultatis acquirendæ causa a. 1748. postquam prius specimen pro obtinenda professione mathematica edidisset, Genevam

Genevam petiit, anno vero 1749. Lutetiam Parisiorum profectus est, officio ephori filii, nec non concionatoris Genevensis ad Regem Galliarum Legati, per annos fere quinque summa fide functus. Hoc temporis spatio plurimis academiæ Scientiarum conventibus atque exercitiis interfuit, magnumque inde, ut & ex consuetudine, quam cum clarissimis illius Academiæ sociis habuit, fructum percepit. Circa finem a. 1754. vicariatus professionis linguæ hebrææ ei fuit demandatus. Philosophicam autem scientiam magis adhuc perfecturus, anno 1756. Lausannam abiit, ibique integro anno substitit. Reversus illum vicariatum repetiit & diligenter administravit, donec d. 28. Sept. 1759. ordinarius Linguæ Hebrææ professor esset denominatus. Officium hocce adiit publice lectione inaugurali *de scholis atque academiis Hebræorum* d. 21. Apr. 1760. eoque ut & munere visitatoris gymnasii ordinarii a. 1773. ipsi demandato hæctenus diligenter fungitur, studiosorum conatus atque labores philosophicos animo promptissimo promovens. *mortuus 1795.*

Edidit *theses mathematicas* a. 1748. & *observationes philologicas*, vacante cathedra hebræa, a. 1759.

J. Rudolf Schnell, S.V.C. electus 1. Sept. 1795.

PROFESSOR ANTIQUITATUM EXTRAORDINARIUS.

FRID. SAMUEL DE SCHMIDT, Bernas, Sereniff. princ. marchionis Bada Durlacensis consiliarius aulicus & Philos. Doctor, postquam a magistratu Basiliensi civitate donatus & ipso petente d. 13. Sept. a. 1762. a Senatu academico *Antiquitatum professor honorarius* designatus fuit, publicis prælectionibus nummos antiquorum explicavit, de eorundem picturis, sculptis quoque cælatisque gemmis egit; majora minoraque veterum perlustravit signa; inscriptiones antiquas, & manuscriptos codices exposuit; sed biennio post, relicta Basilea, Durlacensis bibliothecæ curam suscepit; illinc autem, elapsis aliquot annis, Francofurtum contendit, ubi solemnibus nuptiarum celebratis, sedem suam fixit.

Edidit *Recueil d'antiquités trouvées à Avanches*, à Culm &c. Berne 1760. 4. c. f. *Lettre à Mons. d'Annone, Doct. & Prof. à Bâle*, in Act. Helv. V. IV. 1760. p. 167. *Memoire*